

pudor, autla est castitas, integritas roborata. Guarricus homil. 2. de laudibus Virginis: Nequaquam Rex gloriæ vincula laxavit, aut dilatavit. Nicephorus Constantinopolitanus in epist. ad Leonem, quæ habetur in Concilio Ephesino tom. 5. cap. 2. Virginitatem, quæ supernaturaliter, & ineffabiliter pepererat, post partum Virginitatem conservavit, virginitate illius secundum naturam nullam ex parte demutata, aut labefactata. Et Proclus Cyzicen: Natura portas reseravit, Emmanuel, ut homo, sed Virginitatis claustra non violavit, neque perripit ut Deus, ita enim ex utero est egressus, sicut per auxillum ingressus: ita natus sicut conceptus, qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus.

Ad XIV. Idem Suarez dicit, hoc argumentum esse magis contra Durandum, quia difficilius est intellectui & corpus solidum, & grandioris quantitatis, transire per poros alterius interjacentis corporis, propter solam dilatationem, absque ulla divisione, vel penetratione. Cæterum ex philosophicis probatum supponimus divinitus possibilem esse corporum penetrationem, etiam adæquatam; quemadmodum accidit, quod ex fide habemus, quando Christus exivit de Sepulchro, & quando ad discipulos januis clausis ingressus est, non quidem transiliendo, nec dilatando, aut immutando, sed simpliciter interjacentia corpora penetrando.

## DISSERTATIO CCVIII.

*De Voto Virginitatis Deiparæ Mariæ. An vere illud emisit? Quo tempore? An conditionatum, vel absolutum? An simplex, vel solemne?*



Posteriorum temporum Hæreticorum, Lutherani scilicet, & Calviniani, in odium votorum monasticorum, eam effutire infantiam, ausi sunt, ut nullum dicerent a Deiparæ fuisse unquam Virginitatis votum emissum. Et quanvis aliquando asserant, servatam a Mariæ Virginitatem fuisse, negant tamen fuisse ad hanc servandam ullo voto obstrictam, atque obligatam. Et hæc quidem cum hæreticis in præsentî Dissertatione sola quæstio est. Inter Theologos vero plures emergunt quæstiones circa alia, quæ in Dissertationis titulo proponuntur. Quorum opinionibus hic primo legentibus proponimus, ut deinde ad Conclusiones, juxta nostram consuetam methodum, deveniamus.

Primo. Quidam non valentes conciliare votum virginitatis, quod præcessit matrimonium cum matrimonio, quod subsequitur est ipsum votum, dixerunt B. Virginitatem voti Virginitatem post contractum matrimonium cum S. Joseph, ac de illius assensu. Et qui sic sentiunt, etsi non omnes, volunt quoque voti Virginitatem postquam Gabrielis nuncium accepit, & voti, quando, testante Angelo, credidit,

P. R. IV.

se absque læsione Virginitatis, parituram Jesum filium suum; quod quidem accidit postquam desponsata, ac matrimonio juncta Josepho fuisset.

Secundo. Alii vero putantes in veteri lege extitisse præceptum, & obligationem certam de prole procreanda, arbitrati sunt, tunc temporis Virginitatem fuisse prohibitam; proinde dixerunt, B. Virginitatem primitus voti sub conditione, nisi Deus prohiberet, vel oppositum revelaret; deinde vero, cognita Dei voluntate absolute voti.

Tertio. Alii sentiunt, Deiparam voti, & ante Nuncium Angelicum susceptum, & ante quoque cum Josepho desponsationem. Sed non per hoc quæstio terminatur, quia remanet quoque incertum, quo infantia, aut pubertatis distincto tempore voverit, quo ætatis anno? Cedrenus ait, voverit anno ætatis undecimo, viventibus adhuc, ac consentientibus parentibus. Alii putant, voverit statim ac habuit rationis usum. Alii demum scribunt, voverit ex quo momento de Virginitate, ac de usu conjugii cogitare cepit; & hoc peculiari Spiritus Sancti instinctu, quo novit, id genus sacrificii, Deo esse gratissimum. Et hujus sententiæ est Serry in Exercitat. 20. num. 5.

L.